


scœnum ducerent, nudi agebant: hi verò quòd nimiam in quibusdam membris nostris fœditatem agnoscant, negant illa esse Dei opera: quia quæcunque fecit Deus, illa sunt & bona & aspectu iucunda. Vtrique falluntur. Nam ab initio quidem & ante peccatum fuerunt honesta omnia humani corporis membra: post peccatum autem fœditas quædam & inhonestus aspectus in iis membris remansit, quibus ad libidinem explendam utimur, vt docet August. lib 4. contra Iulian. Pelagian. cap. 16. Sed longius progressi sunt Paterniani. Cùm enim inferiores hominis partes diabolo tanquam opifici tribuissent, in omne se fœdæ libidinis genus, quæ istis membris peragatur, veluti, scortationis & ventris ingluuiei profuderunt, vnde sunt Venustiani appellati. Quare & isti, vti plerique alij hæretici, vitiis voluptatibusque corporis habenas laxarunt, qui propterea sunt non tantùm ex aris Christianorum, sed ex vniuerso hominum cœtu & choro depellendi, & in porcorum haras & stabula detrudēdi, ex Epicureorū potius hortis & schola, quàm ex sanctis Christianorum præceptis & disciplina profecti & nati, qui ne nobis suis illis turpibus voluptatibus nauseam moueant, sunt planè dimittendi.

CAP. LXXXVI.

Tertullianistæ cur sic dicti. Erroris autem eorum capita quatuor descripta.

ertullianistæ à Tertulliano, cuius multa leguntur opuscula eloquentissimè scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes in ex-